Ad laudem Et ad honorem domini nostri ihesu xpisti Sequuntur Hore breues de sanctissima passione eius Et ut dicit sanctus Gregorius

Quamuis die passionem domini recolo saluus ero Magnus Quid salubrius Quid honestius Quid dulcius Quid deberet iustius Qui omni hora eius passionem meminisse Qui nulla nostri obliuiscitur hora Et sine qua hora nulla possumus viuere etc.

Ad matutinas.

Patris sapientia Veritas diuina xpus homo captus est hora matutina Et suis discipulis et notis derelictus Iudeis est traditus Venditus et afflictus.

Has horas canonicas cum deuotione tibi xpe recolo pia deuotione Ut qui pro nobis passus es amoris ardore Sis nobis solatium mortis in agone.

Et dicitur ad omnes horas.

Versus.

Contumelias et terrores passus sum ab eis. Et

Domus mea est . tanquam bellator fortis ℣ Dedit percutienti se maxillam ℟ Saturatus est opprobriis

Oratio

Domine Ihesu xpiste fili dei vivi . Qui hora matutina sponte voluisti hostibus tradi . Capi teneri ligari trahi colaphis cedi . sputis conspui . faciem velari . Et stans coram pontifice iudeorum . A ministro crudeli alapam suscepisti . Captum et ligatum deduci ad alium pontificem permisisti . Et tota nocte multa obprobria pertulisti . Et petrum negantem audisti . et lacrimatis oculis eum respexisti . Fac nos omnes peccata nostra ita deplangere . Ut veniam et gratiam et gloriam apud te invenire mereamur . Qui vivis et regnas etc.

Ad primam

Hora prima ductus est ihesus ad pilatum et falsis testimoniis multum accusatum . In collo percutiunt manibus ligatum . conspuentes eius faciem . Ut est prophetatum . Cum his horis canonicis etc. Om

Faciem meam non averti ab increpantibus In me domine deus auxiliator meus . Et

Ideo non sum confusus. ℣ Cum male
diceret² non remaledicebat ℟ Cum pateretur²
non comminabatur² ℣ Oratio.

Domine Jhesu christe fili dei vivi princeps
omnium regum terre. Qui hora prima probris
contumeliosis ad instar latronis impio iudi-
ci es presentatus. Et senciens contra te crudelissimas
voces tamquam agnus mansuetus tollerasti. Da
nobis propter tui nominis gloriam. Ut cum tuo iudicio
terrifico astiterimus tremendi. Ne deputemur²
eterno supplicio. Sed tuis mereamur² in celestibus
fidelibus associari. Qui vivis. ℣ Ad terciam

Crucifige clamitant hora tercia. Illusus in-
duitur² veste purpurea. Caput eius pungitur²
corona spinea. Fert crucem in humeris ad
locum penarum. Hec ℣ An.

Insurrexerunt in me viri iniqui absque misericordia et
non pepercerunt anime mee. ℣ Proposito
sibi gaudio sustinuit crucem ℟ confusione
contempta. ℣ Oratio.

Domine Jhesu christe qui hora diei tercia fuisti
illusus veste alba indutus et barabam

Latroni dimisso ad mortem crucis condempnatus es, flagellatus, corona spinea coronatus, clamide coccinea circumdatus, sceptro insignitus, genibus flexis derisus et consputus, harundine in capite tuo percussus, purpura exutus et veste tua reindutus, baiolans tibi crucem ad crucifigendum ductus: fac me isto evadere dyabolica illusione et eterna morte. Nec permittas me tartareis cruciari suppliciis, sed gaudiis perfrui eternis. Amen. Ad sextam

Hora sexta dominus est cruci conclavatus, pre tormentis sitiens felle depotatus, pedes cum latronibus in eis reputatus, sinister eum reprobat latro sceleratus. Ant.

Posuerunt super caput eius causam ipsius scriptam Ihesus nazarenus rex iudeorum. V. Oblatus est quia ipse voluit. R. Et non aperuit os eius. Oratio

Domine ihesu christe qui hora sexta fuisti in cruce derideatus, vestibus tuis spoliatus, cruci affixus, in manibus et pedibus clavis acutissimis perforatus, in cruce elevatus, pro tuis crucifixoribus deprecatus, a sacerdotibus iudeorum et ab aliis pretereuntibus et a latrone impio blasphematus,

Ab altero pro regno tuo suppliciter exoratus. Et pro
matre tua amarissime flente. Et Johanne astante sollic-
itus. mundi obtenebratione. solis obscuratione. terre tre-
more. Monumentorum apertione. lapidum scissione
et veli templi divisione. Et non centurionis
exclamatione dei filius attestatus. O domine Jhesu christe
te quaeso ne derelinquas me. sed ad regnum me assum-
ere digneris. Qui vivis etc. Ad Nonam.

Hora nona dominus Jhesus expiravit hely cla-
mans eciam patri commendavit. latus eius lan-
cea miles perforavit. terra tunc contremuit. Et sol
obscuravit. Ant.

Cum accepisset Jhesus acetum dixit consummatum
est. Et inclinato capite emisit spiritum.
Vers. O vos omnes qui transitis per viam. Resp.
Attendite et videte si est dolor sicut dolor meus.

Oratio.

Domine Jhesu christe fili dei vivi qui hora nona
expansis membris et inclinato capite patri spiritum
tradidisti. Et inclitissimi lateris tui apertione
pretium nostre redemptionis tui sanguinis fudisti.
O domine Jhesu christe da nobis indignis famulis

tuis / Ut in hora mortis nostre nos ad
te misericorditer facias pervenire. Qui vivis /

Ad vesperas /

De cruce deponitur hora vespertina /
fortitudo latuit in mente divina / talem
mortem subiit vite medicina / heu corona
glorie iacet hic supina / An.

Disciplina pacis nostre super eum et livore eius sana-
ti sumus / V. Dignus es domine deus
accipere librum et solvere septem signacula
eius R. Quoniam occisus es et redemisti nos
deo in sanguine tuo / Oratio /

Domine Ihesu Christe / qui hora vespertina
cum discipulis tuis cenasti / et turbato spiritu
unum ex eis te traditurum dixisti / et sancto
corpore et sanguine tuo nos cibasti / et post
cenam eorum pedes lavasti / et factis sermonibus
consolatoriis ab ipsis tristabiliter discessisti
Consolare me quaeso domine Ihesu Christe in
hora mortis mee / per dignam perceptionem / eiusdem sacro
sancti corporis / et sanguinis tui preciosi
Qui vivis et regnas

Ad completorium /

Hora completorii datur sepulture corpus christi
nobile, spes vite future, conditur aromate,
implentur scripture. Jugis sit memoria mortis
tue dure. Ant.

Plangent eum quasi unigenitum, quia innocens
dominus occisus est. V. In pace factus est
locus eius. R. Et habitacio eius in syon. Oratio

Domine ihesu christe, qui in hora completorii dixi-
sti: Tristis est anima mea usque ad mortem.
Et tribus vicibus orasti patrem, ut si esset transferetur
calix passionis tue. Et per angustiam et pavorem mor-
tis sudorem sanguineum dedisti. Inter iudeos
et confortatorem de celo audisti. Et iude osculo tradi
in manus peccatorum captivum et ligatum te duci ad annam
pontificem permisisti. O clemens ihesu christe dignare me
quando in hora mortis mee visitare, confortare. Ne per-
mittas me tradi in manus demonum crudelium.
Sed iubeas me adduci per manus sanctorum angelorum
ad te piissimum pastorem et episcopum animarum.
Qui vivis et regnas etc.